



# **Disputatio juridica de justitia et jure ad tit. 1 et 2 lib. 1 Instit. quinta**

<https://hdl.handle.net/1874/235053>

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
JUSTITIA ET JURE:

Ad tit. 1. & 2. lib. 1. Instit.

Q U I N T A

Q U A M

F. D. O. M.

S U B P R A E S I D I O

*Viri Clarissimi,*

D. PAULI VOET, Juris in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris ordinarii.

*Publicè ventilandam proponit,*

AUGUSTINUS STEYN Harlemo Batavus.

*Ad diem Junii horis locoque solitis.*



ULTRAJECTI,  
Ex Officinâ Johannis à Waesberge,  
M. DC. LV.



*Graviss mo, Consultissimo, Spectatissimoque*

*V I R O,*

D. JACOBO STEYN, Reipublicæ  
Harlemensis Senatori, nec non ejusdem  
Reipubl. à Secretis, Parenti meo omni  
amore & honore quo ad vivam colendo.

U T E T

*Celeberrimis, & eruditione conspicuis Viris,*

D. PAULO VOET J. U. D. ejus-  
demque facultatis in Illustri Academiâ  
Trajectinâ Professori ordinario, Præsidi  
meo quam plurimum honorando.

D. DANIELI BERCKRINGE-  
RO, L. A. M. Philosophiæ Practicæ, at-  
que Eloquentiæ, in illustri Acad. Traject.  
Professori ordinario.

*Hocce exercitium Iuridicum  
studiorum primitias,*

Submisse offero & inscribo

AUGUSTINUS STEYN

*Respond.*



## DISPUTATIO JURIDICA

DE

## JUSTITIA ET JURE.

Ad tit. 1. &amp; 2. lib. 1. Instit.

Q U I N T A.

T H E S I S I.



**Q**UIA Juris naturalis definitio ab Ulpiano tradita non exiguam patitur difficultatem, ideo in eâ explicanda etiamnum inhærebo; & quidem præter scrupulos superiori motos disputatione alios qui supersunt attingam. Inter quos exiguus non est, quod Ulpianus suâ finitione omnia indistincte animalia contineat, adeoque etiâ bruta. Unde quæsitum, quâ ratione brutis animantibus juris appellatio conveniat; cum quemadmodum in bruta non cadit injuria, *tot. tit. Inst. & Dig. Si quadr. pauper. fecisse dicat. ita nec jus cadere sit dicendum.* Habitus enim & privatio versantur circa idem subjectum, ut de quo negatur privatio, de eodem etiam negetur habitus *init. Instit. libertin. Everh. in Topic. a. Priv. ad Habit.* Accedit quod ut rationis, ita & juris bruta sint expertia: in quantum jus est ipsa lex vim obligandi habens. Respondeo, jus naturalenon uno accipiendum esse modo. Quandoque enim in legibus nostris, pro lege naturæ accipitur, pro communibus honestatis principiis quæ omnibus innata sunt hominibus, & quidem solis. *§. 1. in fin. instit. Si quadrup. Paup. feciss. dic.* Quo etiam respicit *Apost. Paul. Rom. 2. v. 15. Gentes opus legis scriptum in cordibus genere.* Et alibi Ambros. *Lex gemina est naturalis &*



*scripta, naturalis in corde, scripta in tabulis.* Quandoque tamen non adeo proprie, sed magis abusive, jus naturale pro instinctu & inclinatione aliquâ naturali accipitur, cujus beneficio, quia secundum legem naturæ, certo quodam respectu agere videntur bruta. Præterea sensualem aliquem habent discursum, quam æstimativam Philosophi appellant. Ideoq; secundum analogiã seu similitudinem brutis jus ali- quod naturale inesse dicitur. Quod tamen non legis natu- ræ veniet nomine, sed præcepti; hoc enim paulo largius acci- pitur, quam ipsa lex. Præceptum enim apud Latinos etiam monitum designat, vi obligandi carens. Lex autem vim o- bligandi continet, à ligando sic dicta. Quod vero per jus naturæ tantum præceptum naturæ citra vim obligandi hic intelligat Ulpianus, colligitur partim ex antecedentibus, partim ex consequentibus. Id enim quod in *l. 1. D. Inst. & jur.* appellat jus naturæ, antea naturæ præceptum appella- verat. Et quæ exempla juris naturæ in sequentibus d. l. ver- bis subjungit, non ad leges sunt referenda, sed ad instin- ctum, impetum, incitamentum naturæ. Neque enim jus naturale ad maris & fœminæ conjunctionem, ad liberorum procreationem quem obligat juris necessitate, verum mo- nendo incitat & instigat. *inst. Inst. Jur. Nat. Gent. civ. l. 1. D. Inst. & jur.* Quo etiam sensu apud probatos scriptores H<sup>o</sup>m seu mores, virtutes & vitia tribuuntur brutis. *Aristot. pas- sim in histor. Anim. Plinius de apibus l. 11. cap. 5. quod maxime, inquit, mirum est, mores habent. Et Virgil.*

--Totiusque ex ordine gentis,

*Mores & studia & populos & prælia dicam:*

*Et Horat. Est in juvenis, est in equis patrum virtus. Et Epi- phanius de brutis loquens. Est ἡ κατὰ φύσιν ἡμῶν ἀφ' ἑαυτῶν τὴν φύσιν. Sic ut ineptus sit Valla grammaticus, qui elegant. 4. cap. 48. censuram immerito strinxit in Ulpia- num, quasi, brutis eandem juris rationem, quæ in homines & ut in homines cadit, tributam velit. Revard. 1. var. cap. 1. Athenæus Casaubon. cap. 10. lib. 1. p. mihi 34. Coras. ad l. 1. D. Inst.*



*Iust. & jur. Bocer. Class. 1. disp. 2. n. 6. Connan. comm. jur. civil. lib. 1. cap. 6. n. 1. Merend. Contr. jur. lib. 2. cap. 1. n. 13. Henric. Ern. Cathol. jur. cap. 9. in init. diff. ex part. VVurmser. Nucl. jur. contr. lib. 1. tit. 2. Besold. in delib. jur. & ad tit. D. iust. & jur. n. 20.*

II.

Non inepta hic itaque distinctio potius, quam divisio juris naturæ tradi poterit, quod aliud sit omnium animalium commune, aliud hominum proprium. *Arg. in it. Inst. iust. jur. junct. §. 1. Inst. Si quadrup. Pauper.* Ut illud instinctū, & inclinationem signet naturalem, hoc vero rectam rationem. Inepta tamen illa mihi visa divisio, quā jus naturale quod est hominum dispelcitur in id, quod est æquitatis unum, & utilitatis alterum. Ac si illud hoc unum spectet, ut sancte, pie ac juste vivamus. Hoc ut commode & idonee. Neque enim hæc duo sunt opposita, verum subordinata. Et honestatem non ex utilitate, aut commoditate, verum hæc omnia ex honestate metimur. Nulla enim utilitas aut commoditas est juris naturæ, seu rationi naturali congrua, nisi quæ principiis nititur honestatis, & æquitatis. Cum id demum justum in naturâ, quod honestum, non præcise quod utile. Neque enim in eadem sede perpetuo locari poterunt, & honestum bonum, & bonum utile: cum quandoque etiam nostro cum damno honestati & pietati studendum sit. Quid quod honestas suadeat Dei honorem publico, & publicum bonum privato, præferendum esse. Quod quid aliud est, quam pietati operam dare, posthabito proprio commodo. *l. 2. junct. l. 3. D. Iust. & Iur. Zoef. D. iust. & jur. n. 24. Henric. Ernst. loc. cit. Diss. Hobbes tractatu de cive, in stat. libert. Ex parte Connan. Comm. jur. civil. lib. 1. cap. 6. n. 4.*

III.

Verum anne jus naturale hominum, cum jure gentium sit confundendum, ambigitur? Id enim prima fronte statuumendum esse, vel hinc colligi poterat, quod Ulpianus in *l. 1. D. iust. & jur.* & Justinianus in *§. 1. Instit. Iur. Nat. Gent. civ.*



lege naturæ sub nomine juris gentium videatur egisse. Dicendum tamen, non esse jus naturale hominum, cum jure gentium confundendum. Non quidem nego, aliquando in latiori significato sub jure naturali comprehendi jus gentium, & primævum, & secundævum. §. 11. *junct. §. 17. just. Rer. divis. & §. 42. vendita. Instit. eod. l. 1. D. inst. & jur. l. 31. D. Depos. l. 51. D. Empt. contrah.* Hic tamen ea confundi, sic ut sub jure gentiū cõtineatur naturale, id veropernego. Quid quod jus Romanum privatum dicatur esse collectum ex præceptis naturalibus, gentium, & civilibus. §. ult. *Instit. & jur. l. 1. D. eod.* certum indicium jus naturale, etiam ut designat rationem naturalem, & continet principia honestatis, (ex iis enim collectum est jus civile) juri gentium & civili hic contradistingui. Verum dixerit quispiam, Jus naturale hominum est quod naturalis, ratio inter omnes homines constituit; & id ipsum etiam appellatur jus gentium. §. 1. *Instit. Jur. Nat. Gentil. civil. l. 1. D. Inst. & jur.* Resp. jus naturale mihi est, quod recta ratio inter omnes homines dicat. Quod si inter gentes constituatur, & apud omnes populos, saltem moratiores peræque custodiatur, vocabitur jus gentium, quasi quo jure omnes gentes utantur. §. 1. *Instit. jur. nat. gent. civil.* Unde manifesta distinctio inter utrumque jus, naturale, & gentiū. Quod illud quidem recta dicet ratio, non ideo tamen apud omnes peræque custodiatur. Hoc vero apud gentes receptum, sic ut eo utantur. Accedit quod nisi hâc ratione distinguerentur jus naturale & gentium, necessum esset confundi civile cum naturali & gentium, cum jus naturale, etiam jus gentium in civitatem sit receptum: quod tamen in quantum in civitatem receptum est jus civile denominatur. Textus expressus est. §. 2. v. *Sic enim & jus. Instit. Jur. Nat. Gent. Besold. ad l. 1. D. just. & jur. n. n. 24. 25. Diss. Conn. Comm. jur. lib. 1. c. 6. n. 4. VVurmser. Nucle. jur. contr. lib. 1. tit. 2. contr. 2. Merend. jur. contr. lib. 2. cap. 1. n. 17. in fin. & n. 18. 19.*



IV.

An autem jus naturale sit immutabile, an partim mutabile, partim immutabile, in ambiguo positum est? Respondeo, Quia jus naturale est uniforme, & ex ante prolatis juri gentium ac civili contra distinguitur, illud esse immutabile. Recta enim ratio in homine est uniformis, nunquam variat, nec eam immutare potest homo; ut cujus dispositioni non subjacet. Cumque ratio illa recta sit ipsum jus naturale, & hoc immutabile esse, colligitur. *S. pen. Instit. jur. nat. gent. §. ult. Inst. leg. Agnat. tutel. Arg. §. 2. v. Ergo senatus. Instit. V. usufr. Merend. jur. contr. lib. 2. c. 2. n. 6. Besold. jur. de lib. ad lib. 1. Pand. n. 7. Conn. Comment. jur. civil. loc. cit. n. 5. 6.* Negandum tamen non est, quin in hypothesi quandoque variet, quin ejus effectus impediatur, quin naturæ author, hoc jus naturale, ut est hominum, immutare & in thesi possit. vid. *Lyclam. ultim. Membr. Ecl. 31. Pac. Enant. c. 1. q. 2. Bronch. cent. 1. assert. 4. Grot. Introd. juris. Holl. lib. 1. part. 2. Bacchov. ad tit. Inst. jur. nat. Gent. Bocer. ibid. Rever. Parentem disp. de Jure & justitia Dei. Azor. Inst. Mor. tom. 1. lib. 6. q. 2. Molin. de Just. tom. 1. disput. 4. tract. 1.*

V.

Supereft ut dispiciamus, quænam huic juri naturæ sint adscribenda? An matrimonium? Id affirmandum, per textum expressum in *init. Inst. jur. nat. l. 1. D. Inst. & jur.* Non quidem ut vagum designat concubitum, sed ut conjunctionem cum affectu gratia procreandi desideratam. Neq; enim promiscuam commixtionem suadet instinctus naturæ, neque dicat recta ratio. *Genes. 1. v. 22. & 28. Lactant. 6. Divin. Instit. Schneidvv. init. Inst. de Nupt. Coras. ad l. 1. D. Inst. & jur. n. 7. 8. Diss. Connan. comm. jur. Civil. lib. 1. c. 6. n. 10. Olemann. Præfat. ad antic. Giffan. Besold. n. 2 i. tit. l. 1. D. just. & jur. Henric. Ernst. in Cathol. jur. cap. 9. n. 1.*

VI.

UAn itidem liberorum procreatio, amor & educatio? Idem dicendum, *init. Inst. jur. Nat. Gent. civil. l. 1. D. just. & jur.*



*jur.* Naturalis quippe stimulus hortatur ad eorum procrea-  
tionem, educationem; in tantum, ut si liberis alimenta dene-  
gemus eos necare videamur, ne dicam in propria sævire  
viscera, præsertim si non habeant, unde exhibeantur. *l. libe-*  
*rorum §. ulci. D. V. signif. l. unic. §. taceat? Cod. Rei Vxor. Act.*  
*l. 4. §. D. Agnos. & alend. lib. l. ult. Cod. Alend. lib. §. 7. instit.*  
*Noxal. l. iste. quod Met. caus. Aristot. 1. Polit. c. 1. & 1. Phys. c.*  
*ult. Xenoph. inst. Cyr. lib. 2. Coras. loc. cit. n. 9. Boccr. Class. 1. disp.*  
*2. n. 8.* Ut hæc in parte improbandum sit jus civile, ut pote  
juri naturæ adversum, dum incestuosis alimenta non debe-  
ri, decernit. *Authent. ex complexu. Cod. incest. Nupt.* Neque  
enim id potuit, aut debuit. *init. instit. juncto §. 11. jur. Nat.*  
*Gent. civil. arg. §. 2. v. Ergo nec senatus. Inst. V. usufr. & l. 8. D. reg.*  
*jur. l. 4. D. Agnos. lib.* Ut potius hic laudanda sit æquitas  
juris canonici, quam etiam mores sequuntur. Secundum  
quam ex incestu prognatos liberos, parentes alere tenen-  
tur. *c. cum haberet. §. X. de eo, qui dux. in matr. quæ poll. Gail. 2.*  
*obs. 88. Bull. de trib. Gener. jur. Prac. in addit. n. 9.* Etiam impro-  
bandi quarundam sæminarum mores, quæ postposita na-  
ture lege, affectu repudiato, proprios lactare liberos dede-  
cori esse censent. Parum memores, quod majus sit partum  
sanguine in utero aluisse, quam jam natum lacte nutrire. Pa-  
rum memores, Deum & naturam non frustra eas uberibus or-  
nasse. Parum memores & lactis alimoniam non nihil ad in-  
genii similitudinem conferre. Parum memores, isthac rati-  
one affectum de minimi, & quid non. Contra omnia jura divi-  
num & naturale & civile. Quod suadent exempla piarum  
sæminarum, suadent rationes allatæ, suadet jus civile. *l. peni*  
*Cod. Patri potest. gloss. & Gothefr. ibid. Gell. noct. Attic. lib. 12. c.*  
*1. Tiraquell. de Nobilit. c. 20. n. 79. & seq. ubi etiam dissidentes*  
*allegat. Berneg. q. 115. in Tac. Germ. & Agricol. Boccr. loc. cit.*  
*Bull. addit. ad tria jur. Prac. n. 9.*